prio, fictarum. Hoc enim hiſtoriam memorabilē, proverbium, aut ſententiam aliquam præclaram, hoc magnorum virorum laudem & Encomion, hoc deniq; jocum aliquem, vel ſalſum atq; feſtivum ſcomma tractat. Si dictionis munditiem ſpectemus, tam mira in illis eruditio, tam rotunda ſermonis elegantia, tam feſtiva & ingenioſa brevitas, ut ipſum Apollinem, (cum Poëtis loquar) unà cum novem Muſis, tribus Gratijs, omnibus Veneribus ac feſtivitatibus dotes ſuas univerſas certatim huc contuliſſe videantur. Quid de horum Epigrammatum auctoribus dicam? Horum alij fuerunt ſummi totius orbis Mo-